



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titulus XLII. De Alienatione, Judicii mutandi causâ factâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

bis, Cùm fructus illi sufficere debeant pro labore, id est, servitiis, quæ domino exhibentur; & approbatur à Barbofa in s. Ad nostram cit. n. 2. Neque etiam sententiæ posterioris ratio; quia possessor propter justitiam tituli & bonam fidem fructus quidem suos; sed revocabiliter tantum facit, propter restitutionis privilegium competens Ecclesiæ & Minori.

91. Si posterius, & Minor vel Ecclesia læsa fuit propter inæqualitatem contractus; quod pretium v.g. justò minus, puta pro fundo constante 1800. recepti tantum sint mille, impetratâ restitutione, ab emptore non omnes, sed 800. tantum sive pretii justî defectui respondentes fructus sunt restituendi; quia venditor, sicut in re, sic etiam in fructibus 800. sive justî pretii defectui respondentibus est læsus: non etiam in iis, qui respondent mille receptis; cum, sicut emptor ex re seu fundo fructus, sic venditor ex mille receptis perceperit lucrum. Si autem,

quod rarissimè accidit, adversus hujusmodi contractum v.g. venditionem ob læsionem non in pretio, sed rei venditæ substantia factam, v.g. quod domus vel castrum Gentilitium Minoris, etiam justò pretiò vendi non oportuerit, restitutio impetretur, ex æquitate rem sine fructibus restituendam, volunt DD. cit. quod tali casu venditor læsus tantum sic quoad rem, non etiam quoad fructus; cum istis respondens lucrum percipere potuerit ex pretio recepto.

Neque contrarium evincunt §. 40 & §. 1. cit. quia illorum, quem verba præferunt, rigorem æquitate temperandum suadet ratio, & cum ista conciliat congrua explicatio Card. de Lugo de I. & I. disp. 22. f. 12. n. 329. animadvertentis, utroque textu sermonem esse de venditione minori pretio factâ: quod casu cum re quidem etiam restituendos docet fructus; sed eos duntaxat, qui pretii defectui respondent; & post contractus rescissionem sunt percepti,



TITVLVS XLII.

De Alienatione Judicii mutandi causâ factâ,

SUMMARIUM.

1. Ista læsis succurritur.
2. Que alienatio judicii mutandi causâ fiat.
3. Eâ læsis in factum contra alienantem.
4. In Rem actio adversus possessorem,
5. Et utilis etiam adversus alienantem datur.
6. Si concurrant requisita Jure Civili.
7. Cui duo SS. Canones addiderunt.

Sicut Vi metue aut ætatis & judicii imbecillitate vel dolo culpave aliena læsis, sic etiam rerum futuri judicii mu-

○○○○○

dicium mutandi causâ ab adversario factâ Alienatione præjudicium passis, succurrendum existimavit æquitas Prætoriana, sicut in Pandectis & Codice Justiniano, sic etiam in Gregoriana & hanc fecerunt compilationibus cæteris, Restitutionis causis non incongruè subjecta.

2. Judicium autem mutandi causâ rem alienare dicitur, qui metu litis sibi impendentis rem, de qua eam sibi movendam intelligit, aut suspicatur, cedit, vel quocunque tam lucrativò quàm onerosò titulo transfert in alterum; ut propter istius conveniendi difficultatem durior conditio adversarii, & ab isto inchoanda litis profectio molestior reddatur: cujusmodi factò cum alteri per alterum iniqua conditio & non leve præjudicium inferatur, contra Regulam, *l. Nec in aliena 2. ff. Quod vi aut clam & l. Non debet 74. ff. de R. I.* eò læsis variè subvenitur.

3. Et imprimis quidem ex Edicto Prætoris eis conceditur Actio in factum, quæ conventus alienans tanti damnetur, quanti actoris interest, rem ita alienatam & difficiliorem adversarium sibi oppositum non esse: & ad expensas etiam, si quæ factæ sunt, & aliam incommoditatem, quam passus est Actor, *l. 1. & l. Quia etiam 3. ff. hic.* Unde hac Actione actor quasi in integrum restituitur, §. *cit.* cum, licet non ipsam rem, ut fere in aliis Restitutionibus contingit, id tamen, quod suâ interest, consequatur, *l. 1. cit.* Wenbec. ad hanc Rubr. ff. n. 1. Deinde eidem actori datur Actio in Rem adversus rei alienatæ possessorem, *l. Unica cit.* ut in ejus electione sit, an ad consequendam ipsam rem istius alienatæ possessorem, vel in factum Actione alienantem convenire velit, Bruneman. in *l. cit. n. 3.* Imò adversus ipsum etiam alienantem, qui rem dolò desit possidere, Actio, quam

Utilem rei Vindicationem appellant, datur; cum, qui rem dolò desit possidere, pro possessore habeatur, & in Rem Actio conveniri possit, *l. Sin autem 27. ff. & l. Qui petitorio 36. ff. de R. V. l. dem n. 5.*

Neque, quòd Actione in Rem conveniri istius tam possessor quàm alienator valeat, ex Edicto Prætoris competens extraordinarium Restitutionis remedium excluditur; quia ex una, hujusmodi remedia, quando specialiter utilia sunt, cum Ordinariis concurrunt, per tradita *Tit. 41. n. 11.* Ex altera vero parte, remedium Prætorianum aliquid asserti specialis utilitatis; cum ab Actione in Rem propositâ absolute non impediatur, & ejus beneficiò actor etiam expensas propter alienationem in difficiliorem adversarium factas & damni aliarumque incommoditatum eâ illatarum compensationem consequatur, Gonzalez in *c. fin. n. 10.* accedit; quòd Prætoriam remedium introducti tempore, in Rem Actio prodita nondum fuerit, ut iidem adnotarunt.

Porro, ut Actiones istæ competant, varia requiruntur. Et primò quidem actus alienationis: quò rei dominium vel ejus saltem possessio in alterum translata fuerit, *l. Item si res 4. §. 2. ff. hic.* Secundò, ut dominii, possessionis vel quasi, translatio facta sit inter vivos: non ultimâ voluntate, *l. Ex hoc Edicto 1. §. 3. ff. ibid.* cum enim mortuorum res suas aliis, sive ex testamento sive ab intellectu succedentibus, relinquere oporteat, quæ ab eo per ultimam voluntatem sit, ex necessitate & benigna voluntate potius quàm judicii mutandi animò vel dolò proficisci censeatur, Glossa in §. *cit. Non erit.* Tertiò, ut facta sit causâ & intentione mutandi judicii, *l. Item cit. §. 1. V. Potest,* unde, qui ob inimicitiam

tatem, etatem, vel aliam necessitatem, imò odio & execratione molestiarum litis, rem & cum ea litem movendam in alium transfert, obnoxius non est hujusmodi actioni, exigenti dolum, §. 1. & 2. l. cit. Quartò, ut ea judicii primum futuri & non jam cæpti causâ sit facta, l. Ex hoc cit. §. 1. quia rei alienatio, facta lite super ea jam intentatâ & pendente, regulariter irrita est ipsò Jure, l. Lite 2. ibi, *Tanquam si nihil sit factum*, & l. fin. C. de Litigiosis, ut Prætorio Restitutionis remediò non sit opus vel locus, l. In causa 16. §. 3. ff. de Minoribus. Quintò, ut eadem dominii, possessionis, vel quasi, alienatio facta sit dolò, l. Item cit. §. 1. & 4. quò modò res alienata præsumitur, si translata sit in adversarium potentiorum, v.g. ratione divitiarum aut nobilitatis: vel in personam extraneam, sive subjectam alterius jurisdictioni, l. 1. C. ff. S. l. Unica C. hic. Sextò demum, ut alienationem non esse factam intersit Actoris, l. Item cit. §. 2. quòd propterea fecerit expensas, vel aliam incommoditatem aut damnum sit passus ex eo, quòd alius & difficilior adversarius sit substitutus, textus & Glossa in l. Quia etiam 3. §. 4. ff. hic, ubi Wesenbec. n. 6. & Zæsius à n. 3.

Imperiales hæ dispositiones Ecclesiastico Jure non solum approbata *Rubricâ & textibus hic*, sed iis duo addita sunt. Primum est; quòd vi Rescripti Apostolici ad lites impetrati, quantumvis alias strictæ interpretationis, & extensionis ad personas non expressas impatiens sit, c. P. & G. 40. de Offic. deleg. Glossa in c. Nonnulli 28. V. Lites de Rescript. conveniri tamen coram delegato possit extraneus, in quem judicii mutandi causâ alienata est res, super qua vi Rescripti alienans erat conveniendus: quòd c. 1. statutum est ab Alexandro III. ita consulente indemnitati actorum, simul & alienatorum eorumque, in quos res alienata est, iniquam conditionem alteri inferentium & Superioris mandatum dolosè eludentium malitiam plectente, Vivianus in c. cit. Alterum; ne rem vel litem alienam dolosè eòve animò in se transferri curent; ut Actores laicos ad forum Ecclesiasticum trahant, à Gregorio IX. Clericis sub censurarum comminatione interdictum est c. fin. cum; ne ita duriores reddant conditionem laicorum, eos à Seculari ad Ecclesiasticum forum pertrahendò: tum verò ad fraudum & avaritiæ suspiciònè à clericali Ordine removendam, juxta can. Clerici 14. q. 4.



TITULUS XLIII.

De Arbitris.



Udiciorum Præparatoris Gregorii IX. & quorù iste exemplò ductus est, Justinianæ Codicis & Pandectarum volumina su-

biciunt, & ipsiis judiciis præmittunt Arbitria & Compromissa; quibus inter partes ortæ controversiæ non rarò componuntur; ut judiciò contendere non sit necesse.

○○○○○ 2

ART.